DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO ... A FR...

Philippus : a Sinzendorff, Valenti Gonzaga



Sanctissimo Domino Nostro

BENEDICTO XIV.

PONT. MAX.

FR. PHILIPPUS A SINZENDORFF

FELICITATEM.



QUAMQUAM *me non semel*, BEATISSIME PATER, *ad majestatem, & amplitudinem maximæ in terris Dignitatis*

tuæ accedentem alacrem fecerit ſingularis, & quæ unice tua eſt, humanitas: non defuit tamen, quod cupientem nuper brevem, quam habui de ineffabili TRINITATE *Orationem tuo nomini nuncupatam, tibi ſiſtere, a propoſito revocaret. Metus enim inceſſerat animo, ne illa tandem abuti viderer, ſi, commendationem aliquam tenuiſſimo huic operi meo quærens, ſanctiſſimos pedes tuos adiiſſem, cum multis, iiſque graviſſimis curis diſtineris. Quem enim lateat, quot, & quam ſeria te negotia circumſtent difficillimo hoc Chriſtianæ Reipublicæ tempore, quo ſcilicet maxime, ſi unquam alias, tum Religionis honos, & Ca-*

tho-

tholicorum Principum concordia, cum populi cariſſimi ſalus, & felicitas te anxium & ſollicitum tenent, te inquam Pontificem Maximum, Principem optimum, & Patrem omnium amantiſſimum. Verum, poſtquam mibi in mentem ſubiit, quam æquus tibi tantis eſſet in anguſtiis animus, quantaque ſecuritate tantarum rerum molem ſuſtineres, ut non ideo ad te aditus alicui præcluderetur, tum demum mihi redditus eſt animus; & quemadmodum publico bono tacite mecum gratulatus ſum ſupremo Dei conſilio Divinarum, humanarumque rerum poteſtatem ad eum delatam, qui unus par tot, ac tantis

curis exiſteret: ita me in eam ſpem adductum intellexi, ut voti mei compotem fore non dubitarem. Quoniam igitur nunquam ſatis commendatæ humanitati tuæ graviſſimas inter occupationes locus adhuc remanet, ea me nunc excipias, oro, atque obſecro, parvum hoc maximi obſequii mei argumentum deferentem; &, dum fauſta omnia precor, annorumque incolumem diuturnitatem, quod Eccleſiæ, & Orbi univerſo multum intereſt, me tuis pedibus humiliter provolutum Apoſtolica benedictione augere non dedigneris.

ORA-



ORATIO.



Uo longius, BEATISSIME PATER, ab humana mente recedit, & omnis vim fugit intelligentiæ Augustissimum TRINITATIS Mysterium, cujus ideo inaccessam majestatem perversæ curiositatis est inquirere, videre autem, sicuti est, perfectæ felicitatis: bene habet, si eo firmius ipsi constanter adhæreat, quæ veritatis Columna, & firmamentum est, Christi nomine consecrata Religio, nosque omnes alacriori animo unum natura Deum, personisque trinum demisse venerantes profiteamur. Fide enim genus Abrahæ vocamur, quod ab eo, qui Pater est credentium, modum didicimus, quo Dei non virtutem tantum, sed multo ma-

D. Bernard. serm. 1. in separat.

ma-

gis naturam non ad ingenii nostri coarctemus angustias; Sed quemadmodum Abraham in spem contra spem credidit, hoc est contra id, quod naturæ ordo in Filii immolatione minabatur, ita ipsi in lumen contra lumen credamus, hoc est contra id, quod naturalis cognitio menti nostræ insinuat. Facessant igitur quicunque cum perditissimo Socinianorum grege evanuerunt in cogitationibus suis, & in vanas scrutationes abeuntes humana ratione Divina metiri se posse arbitrati sunt, per summam impudentiam abjicientes, quod animi cogitatione concipi nequit, & ipsi propterea non intelligerent. Ecquid enim? Fieri ne potest, ut plenam Dei notitiam assequantur homines, quibus nec tam multa ob oculos posita undique perspecta sunt, nec sui ipsorum exploratus est animus, explorata cogitandi ratio? Ille quidem veluti de caliginoso Monte egrediens, in Sole posuit aliquando tabernaculum suum, seque in veteri testamento per umbras, & in novo per assumptam humanitatem, qua tenuitati nostræ veluti accomodavit Pater, quod executus est in Filio, Carnis Mysterium, nobis videndum præbuit. Verum, cum illi ipsi, qui Cœlorum nomine appellati sunt, & ante faciem Patris propius, & familiarius obversantur Cherubim, & Seraphim unius

D. Chrysost. hom. 14. t. 8. pag. 81.

D. Athanas. in illa verba: Nemo cognoscit Patrem tom. 2. p. 32.

D. Bernard. serm. 6. in cantic.

D. Athanas. de salut. Christi adv.

unius, trinique Numinis majeſtatem formidare magis, quam intueri ſoleant, quod per Iſaiam indicatum eſt, ubi Divinæ præſentiæ ſplendorem tegere videbantur, dum colerent: quæ miſeris nobis tandem ſpes eſſe unquam potuit, qui nec Angelis natura ſuppares ſumus, nec ejuſdem felicitatis adhuc, hæreditatiſque ſocietate? Sed hinc ingens illud oritur diſcrimen, quod in maximam fidei noſtræ vertitur gloriam, Judæos inter, Paganoſque, Hæreticos etiam, & Chriſtianos, qui jure hoc appellantur nomine, quod illi ſuperſtruentes humum, ut inde Cœlum attingant, inde ad ludibrium maximum miſere dilabuntur juxta illud: Poſuerunt os in Cœlum, & lingua eorum in terram tranſivit. At Catholicæ veritatis Propugnatores humili Deo revelanti aſſenſione tenent, quod animo ſuapte natura divinorum impatienti, nec attingere quidem poſſent. Gratulemur igitur, quod Synagoga non credit, Philoſophia non ſapit, Eccleſia tamen intelligit, illud ab eadem nobis traditum eſſe, ac manifeſtatum. Gratulemur, quod nos Deus e tenebris, & umbra mortis vocare dignatus ſit in admirabile lumen ſuum, ut Scripturarum, traditionumque auctoritati inhærentes, ipſi revelanti ea credamus, quæ nec cogitare ipſi poſſumus, nec

D. Athanaſ. tom. 1. p. 32.

D. Baſilius ſerm. 27. t. 1. pag. 518.

D. Hilarius de Trinitate.

nec effari, unum Deum, eundemque, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, in unitate scilicet naturæ personarum distinctionem adorantes. Sed illud interim meminerimus nihil nobis profuturam fidem nostram, nisi ad æternam vitam, quæ nobis in ineffabili TRINITATIS Mysterio ostenditur, quantum in nobis est, divino freti auxilio pervenire contendamus. Quem enim per speculum tantum in ænigmate cernere nobis datum est, dum adhuc infirmitatis nostræ præpedimur angustiis, dabitur tandem facie eum ad faciem intueri; quæ summa, eaque cumulatissima felicitas est, si nunc, quod fide credimus, moribus præferentes ingrediamur Caritatis viam, tendentes ad eum, de quo scriptum est, Quærite faciem ejus semper.

D. Augustinus lib. 1. de Trinitate.



FINIS.